



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. NN. 910-957/20/I

BEATISSIME PATER,

STANISLAUS GADECKI, Archiepiscopus Metropolita Posnaniensis atque Praeses Conferentiae Episcoporum Poloniae, reverenter petit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (nempe Sacramentali Confessione, Eucharistica Communionem et Orationem ad mentem Sanctitatis Tuae) lucranda christifidelibus qui, animo quidem omnino elongato ab affectu erga quodcumque peccatum, quamlibet ex 48 ecclesiis stationalibus, enumeratis in elencho die 8 mensis Decembris 2020 ad Apostolicam Paenitentiarium transmissis, a die 31 Decembris 2020 usque ad diem 31 Decembris 2021, in Anno Sancto Iacobaeo, sociato corde cum Iubilaeo Compostellano, in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilariis celebrationibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis et Sancti Iacobi Maioris, Apostoli.

Et Deus, etc.


Die 14 Decembris 2020

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Summi Pontificis, libenter annuit pro gratia iuxta preces totum per Annum Sanctum Iacobaeum, ut in adnexo elencho a Prot. N. 910/20/I usque ad Prot. N. 957/20/I enumerato.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si coram aliqua Sancti imagine iubilariis celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiam Deo oblatam.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.


MAURUS CARD. PIACCENZA
Paenitentarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens